

III.

NEOVIDENSIS

Nro 20. (*Neovidensis* Nro 43.)

Orpheo gratiæ agendæ,
qui accepta lyra sibi Eurydicem,
nobis Colloquium Politicum
ab inferis reduxit.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 8. Junii 1804. (Neov. 25 Maji.)

Gallia lugebat celeri concussa tumultu
Bella sibi, atque aliis, horrida bella dedit.
Religio, leges lustris abiere duobus
Confusum regnum, nullus & ordo fuit.
Unus venit homo, qui, *Vir Bonaparte* vocatus,
Præcludit regnum, ac *Imperium* reserat.

DIALOGUS

Inter Georgium Ludovicum I. Brunsvicensem,
et Hugonem Capetum.

Capetus.

Si argumentum, de quo jam tribus horis disputamus, velimus sine partium studio concludere, fateri cogemur, nos idem facturos fuisse, quod modo facit Bonaparte.

Georgius. Tu utique tantum Comes eras Parisinus; tibi a. 987 Rothomagi obtigit Re-

gia Galliae dignitas; tu dedisti originem tertiae stirpi in Gallia regnatrici, ordo autem succedendi in Regno nonne pertinebat ad Carolum I. Ducem Lotharingiae? Non usurpasti, si ita loqui placet, ejus thronum? Non curasti carceri mancipari Ducem Aurelianensem, ut eo quietius solus regnare posses?

Capetus. Amantissime Georgi! cede veritati. Non es tu a. 1714. Rex Angliae electus, non usurpasti, ut sensu tuorum inimicorum me exprimam, regnum Stuartorum? Heri adhuc loquebar cum ultimo hujus familiae descendente, praetendente Stuartico, qui mihi amarissime questus est, quomodo eum haereditate privaveris, ejusque Angliae regnum capessiveris.

Georgius. Sed mea in Anglia regnans stirps non potest ad pacem descendere, donec non fuerit legitimum in Gallia imperium restitutum. Ita se hodiernus Minister Pitt explicuit.

Capetus. At illud instauratum est, & quidem summa cum majestate. Cum intimo animi dolore fateor, olim in Gallia viguisse tantum Regiam dignitatem, modo vero Imperatoriam exsurrexisse. Bonaparte est Caesar Gallorum. Pervolvamus acta, & Senatus consultum, quo haec tam insignis rerum conversio producta est. Legam tibi, ausculta:

„Administratio Reipublicae est uni Caesari concredita, qui titulo Imperatoris Gallorum utetur, & cujus nomine omnis justitia

procurabitur. Napoleon Bonaparte est Imperator Gallorum.“

„Imperatoria dignitas est hæreditaria in directa, naturali, & legitima Napoleonis Bonaparte posteritate sexus masculini, secundum ordinem primogenituræ. Ab hac scæminæ, earumque descendentes in perpetuum excluduntur.“

„Napoleoni Bonaparte liberum est filios, vel nepotes suorum fratrum adoptare in suos filios, si jam sint 18 annos nati, & ipse tempore adoptionis careat prolibus masculini generis. Adoptivi filii transeunt in lineam directorum ejus descendentium. At si eidem post adoptionem nascerentur filii, adoptivi non nisi post naturales, & legitimos successores poterunt ad imperium pervenire. Hoc jus adoptandi, successoribus Napoleonis Bonaparte, eorumque descendentibus interdictum esto.“

„In defectu naturalis, & legitimi, vel adoptivi successoris ex parte Napoleonis Bonaparte, Imperatoria dignitas translata est in Josephum Bonaparte, ejusque naturales, & legitimos descendentes masculos secundum jus primogenituræ; arcentur vero scæminæ, earumque posterii in perpetuum. Quod si idem defectus exoriatur apud Josephum Bonaparte, jus succedendi in imperio transit ad Ludovicum Bonaparte, ejusque posteros masculos. Si denique nec hic habeat naturales, & legitimos successores, tunc Senatus ad propositionem supremorum Regni magistratuum, jux-

ta systematicum Senatus consultum denominat Imperatorem, & in ejus familia ordinat hæreditariam successionem ad masculos, cum exclusione fœminarum. Hoc tamen Senatus consultum ratione consensus cum populo communicandum erit.“

„Tempore Interregni negotia publica Ministri administrabunt, qui efformato status consilio suas deliberationes majore numero suffragiorum concludent. Secretarius regni ducet Protocollum.“

„Primi Regni magistratus sunt: Magnus Elector, Archi-Cancellarius, Archi-Thesaurarius, Mareschallus campi, & summus rei navalis Dux. Has dignitates confert Imperator usque ad dies vitæ.“

„Præcipui autem Officiales sunt 1) Mareschalli Regni, qui ex præstantissimis Belliducibus deligentur, numerum 16 non excedent, huc tamen non computantur Senatores. 2) Octo Inspectores, & Generales tribuni rei tormentariæ, architecturæ militaris, militiæ equestris, & maritimæ. 3) Præfecti Ærario, prout per statuta Imperatoria introducentur. Hæc quoque officia durabunt per tempus vitæ.“

„Juramentum, quod Imperator deponet, ita sonat: Juro me territorium Reipublicæ integrum conservaturum; libertatem exercitii Religionis, & leges Concordati; æqualitatem jurium, politicam, & civilem libertatem, indissolubilitatem venditorum bonorum nationalium servaturum, effecturumque, ut ab a-

liis etiam observentur; nulla tributa imposi-
 turum, nulla vectigalia introducturum, nisi
 vigore legis; institutum honorariæ Legionis
 sustentaturum; ea unica intentione regnatu-
 rum, ut emolumentum, felicitas, & gloria
 populi Gallici promoveatur.“

„Commissio, ex sex senatus membris con-
 stans, quæ ipse Senatus e medio sui deligit,
 quamprimum ei a ministris communicatio fa-
 cta fuerit, assumet secundum 46 Constitutio-
 nis articulum, examen in custodiam tradita-
 rum Personarum, si eæ intra primos decem
 suæ captivitatis dies ad nullum iudicium fu-
 issent adductæ. Hæc Commissio vocatur Se-
 natoria Commissio super libertate singulari-
 um personarum.“

„Commissio ex septem a Senatu deno-
 minatis Senatoribus composita habet potesta-
 tem invigilandi libertati preli.

Quo tamen non pertinent scripta perio-
 dica, & folia publica. Hæc Commissio audit
 Senatoria Commissio de libertate preli.“

„Legum propositiones, quas legislativum
 corpus probaverit, ipsa adhuc approbationis
 die Senatui transmittentur, asservandæ in ejus
 tabulario.“

„Quodvis a corpore legislativo promul-
 gatum Decretum, potest quilibet Senatorum
 Senatui denunciare; utpote si 1) concerne-
 ret restitutionem regiminis feudalis: 2) si in-
 dissolubilitati venditorum bonorum nationa-
 lium adversaretur; 3) si non esset secundum
 formulas a Regni Constitutione, ordinationi-

bus, & legibus concinnatum; 4) si prærogativas Imperatoriæ dignitatis, & Senatus impugnet.“

„Senatus ad relationem specialis Commissionis deliberat sex diebus, qui approbationem propositæ legis consequuntur, &, si Decretum in tribus, diversis diebus celebratis, sessionibus, ter prælegi audivit, potest opinionem depromere: *Legem non esse publicandam*. Præses totam Senatus deliberationem cum motivis refert Cæsari, qui, exquisito eam in rem sui status consilii iudicio, vel declarat se abire in sententiam Senatus, vel curat legem promulgari.“

„Quotiescunque autem Statusconsilium de propositionibus legum, aut publicarum administrationum ordinationibus consultat, toties minimum 25 Consiliarios interesse oportet.

„Sessiones corporis legislativi vel sunt ordinariæ, vel habentur a delectis: in illis exaudiuntur Oratores Statusconsilii, & trium Tribunatus sectionum, deliberaturque de proposita lege; in his discutiuntur commoda, & incommoda propositæ legis. Finita a delectis consultatio suppeditat sequenti die materiam deliberandi in ordinaria sessione.

„Legislativum corpus eadem die, qua propositionem legis in deliberationem sumit, & in eadem sessione, excipit summam argumentorum ab Oratoribus Statusconsilii propositorum.

„Si sectiones Statusconsilii, & Tribunatus velint se conjungere, tunc consultationes celebrantur sub præsidio Archi-Cancel-

larii, vel Archi-Thesaurarii pro ratione materiarum.“

„Quælibet sectio, & quidem in uno conventu confert separatim consilia super propositis legibus, quæ cum ea a corpore legislativo communicantur. Duo Oratores ex quælibet sectione ob oculos ponunt corpori legislativo suarum sectionum opinionem, eamque argumentis communiunt.“

„In nullo casu possunt propositiones legum a Tribunatu in communi congregatione examinari; hic enim ideo tantum a suo Præside convocatur, ut negotia sibi commissa executioni mandet.“

„Quotiescunque aliquod electivum Provinciæ collegium convenit, ut candidatos proponat pro legislativo corpore, toties renovatur catalogus candidatorum pro Senatu. Quælibet innovatio irritas reddit priores propositiones.“

„Nulli Præfecti Provinciales, qui officiis funguntur, possunt ab electivis Provinciarum collegiis in numerum candidatorum ad Senatum referri.“

„Suprema Cæsarea Curia judicat 1) de personalibus delictis, quæ personæ de familia Imperatoria, supremi Regni magistratus, Ministri, Status Secretarii, Primarii Officiales, Senatores, & Status Consilarii commiserunt; 2) de delictis, conspiracyibus contra internam, & externam Civitatis securitatem, personam Imperatoris, & successorum in Regno; 3) de delictis, quæ Ministri, Status Consilia-

rii, quibus aliqua publicæ administrationis pars commissa est, per neglectum sui officii patrant; 4) de mala fide, & abusu potestatis Præfectorum in coloniis, aliorumque in possessionibus Gallicis extra continentem præpositorum, item eorum, qui extra ordinem constituti sunt generales Administratores, atque terrestrium, & maritimorum belli ducum, sine involatione tamen in jurisdictionem militarem, quoad hos ultimos, in casibus a lege definitis; 5) de inobedientia belliducum, qui instructiones datas violaverint; 6) de oppressionibus, & dilapidationibus, quarum reos se Præfecti ærario fecerint; 7) de aberratione ab officio Judicum in foro appellatorio, criminali, & Cassatorio constitutorum; 8) de denunciationibus, arbitrariis incaptivationibus, & violatione libertatis preli.

„Cæsareæ Curie præfectus est Generalis Procurator, quem ad dies vitæ nominat Imperator. Hujc adjunguntur tres Tribuni, a corpore legislativo lecti, & tres magistratus personæ, quas itidem singulis annis Imperator determinat. A sententia curiæ hujus nulla datur appellatio.“

„Sequens quæstio, secundum 20 Maji Anni 10 conclusum, proponitur populo pro consensu: „Populus cupit hæreditariam successionem Imperatoris dignitatis in directis, naturalibus, legitimis, & adoptivis posteris Napoleonis Bonaparte, in naturalibus, & legitimis successoribus Josephi, & denique Ludovici Bonaparte, prout hoc systematico „Senatusconsulto 28 Maji a. 12. constitutum est.“